B. N. C.
FIRENZE
1158
3

1158 3

261

ARGO PENTALOGE,

ILLVSTRISSI-MO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO GVILHELMO VRSINO,

Domus Roſenbergicæ Gubernatori, Boëmiæ Proregi, &c.

VELLERIS AVREI INSIGNE.

Ad Qart. Cal. Iun. in Metropol. Prag. Eccleſia accipienti.

Fidel. obſeq. & deb. grat. ergò à ſuæ Illuſtriſs. Celſ. Cancell.

HENRICO A PISNITZ, I. C. POSITA.

PRAGAE BOEMORVM, EXCVDEBAT MICHAEL PETERLE.

Anno.

M. D. LXXXV.

MED. PALAT. BIBL. CAES.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

IN ROSAM VRSINAM, AVREO VELLERE ORNATAM.



Quis florum? ROSA. *Quæ ſepes circumdedit illam?*
Viua repercuſſo nexa adamante ſilex.
Martia cum molli quid habet commune poteſtas
Vimine? cum rigida quid ROSA *mitis oue?*
Dignus IASONIA *flos eſt tam nobilis arrha:*
Nec malè PHASIACVM *Bacca monile decet.*

N58.3

ARGO PENTALOGE VELLERIS AVREI.

ET *dubitabis adhuc plenis excurrere velis*
PENTALOGE? *patiere tuam ſubſidere ripa*
Sola ratem? ſocias dum pontus, & alta carinas
Iam maria aſportant; dum latum nauibus æquor
Inſternunt fuſæ per ſtagna Aganippia Nymphæ?

Quin præconiferas educis & ipſa quadrigas
In medium? quin tarda trahis, ſtatione relicta,
Salſa per, & liquidos, Permeſſia marmora, campos
Eſſeda? quin lætis impellis carbaſa ventis,
Laurigerumq́; cies numeroſo remige currum?

Deſere tardarum tandem breue littus aquarum,
Et te crede mari, ſegeteſq́ incide flagellis
Aonias: ſurgant alternis verſibus armi
In laudem, properetq́ citis caua pinus habenis
GVILHELMI *clarū trans Memnona ducere nomen.*

AEole nimborum, tempeſtatumq́ furentûm
Diue potens, tenuem Vatis miſerate celocem,
Claude tenebroſis piceos anfractibus Auſtros,
Et ſæuum Boream, centumq́ procacia nodis
Membra rebellantûm conſtringe enormia fratrum.

Solus roriferis Zephyrêus argenteus alis
Tranquillum per pontus eat; cælumq́ ſerenis
Flatibus, & munda purgatum innubilus aura
Impleat; obiecta ſummo radantur arenæ
Axe, nec infernas rota præceps excitet vndas.

Si malus placido ſoſpes mihi nauerit alto;
Si proſper, mitiſq́; fluet ſine nube Fauonus,
Et gracili paſſas grauidabit flamine telas;
Errat in electa melior quæcunq; bidentûm
Gente pecus, Liparas madidabit ſanguine acerras.

Tu quoq; Caſtaliæ Præſes diuine palæſtræ,
Cùi citharam & molles, non raro pollice, quondam
Attriui calamos, plectrumq́; ſonabile mulſi;
Redde, refutatas nuper, non durus auenas:
Illicet Aſtrææ ſectanti claſſica Vati.

Namq; tibi viridi quamuis mea vota ſacello
Emeritus pridem, deſudatoſq́; labores
Conſtitui, & gemina tabulam pro rupe dicaui;
Aduenio tamen ecce ultrò, poſitaſq́; reſumo
Sponte cheles, & ſiſtra manu neglecta capeſſo.

Parce reuertenti, (quis enim præconia tanto
Deneget HEROI?) *iam dudum intendo remiſſas*
Sollicita ratione fides, & carmina Vates
Penè nouus, rurſum titubanti pectine fingo,
Atq; eiuratas numeris adſtringo Camœnas.

Sed quæ latiuagum cymba mediocre profundum
Intranti, tam multa mihi ſe ſponte, uiritimq;
Offert turba Deûm? quantæ breuiora maritant
Vela animæ? totum Oceanum ſi conderet ARGO
Sufficerent, COLCHOS*q; rates portare valerent.*

Tantus ad obſequium generoſi Principis ardor
Inſurgit cunctis, tam fidus laudis in omnes
Ipſe ultrò ſpecies pronum temone tridenti
Pandit iter, fluctusq; domat Tritone ſuperbo
Deuectus, Siculæ Glaucus regnator arenæ.

At vos ò Muſæ, cui parui frena liburni
Mandatis? teneros Chloris ſuſpirat ephebos;
Fortior ad iuſtam vos prouocat aura iuuentam;
Totus inexhauſtum claris uirtutibus æquor
Nereus electa cum Tethye cedit arandum.

Num genus, & primos quibus hæc deſcendit origo,
Expendetis auos? decorisq; exordia tanti
Longiùs elapſos retrò referetis in annos?
An quibus hæc gelidas proles manauit ad Arctos
Auſpicijs, tardo rem deducetis ab Ouo?

BRACTIADVMNE *Ducẽ, cuius viget ĩclyta fama*
Gloria, uenturos exornatura nepotes,
IORDANVM? *ſeu* NICOLEON *Melitenſis honorẽ*
Militiæ? gentisq; iubar commune GRAVINAE
LAELIVM, *honoriferi meditantem ſigna Galeri?*

Desinite

Deſinite antiquos, Nymphæ, memorare parẽtes
VRSIGENAS: *Dominæ clariſſima pignora Romæ*
Ortus & occaſus veneratur, ſuſpicit, ornat.
Nam quæ terra genus tam barbara neſciat iſtud?
Illius eximios an quisquam ignorat honores?

Hæc eſt illa Domus, Latialis filia cœli,
Stirps equidem magno non inficianda Quirino,
Quæ fines egreſſa breues, & limitis arcti
Impatiens, nitido famam protendit Olympo,
Et ſe viuaci librauit ad æthera penna.

Hinc nouies centum Phœbæos ante reflexus,
Et ſeptem quinis nudatos meſſibus agros,
Ipſe ARIBERTVS *honos, generis reparator auiti*
Venit, & Hercynios ultra, reſinæq; feracem
Syluam, vt ad illimum noua mænia conderet Albim.

Hinc

Hinc ARIBO *patrui ſucceſſor fluxit, & alter*
Prælia cum MAGNO *qui triſtia Cæſare geſſit*
Barbarus; inſonti ſed enim mox ſanguine merſus,
Chriſtiadæ ſacrum vitali flumine nomen
Primus, & ætherei ſuſcepit dogma parentis.

Hinc alij centum, conſtante propagine Reges
Saxonici, &, (veſtra liceat mihi pace Quirites
Dicere) centum alij, (quo uos è ſanguine creti)
Deſcendêre Duces: his fontibus inclytus VRSO,
VRSO *quatergeminæ, manauit, conditor aulæ.*

Deniq; centenos ſi ponè bis, ac triginta
Plus minùs, aut noſtros ſenſim veniamus ad annos;
ERICVS *hinc Gallis* IANO *cum rege tuendis*
Progenitus, furuos vbi claudit Sequana lucos,
Occidit Albionæ ſtratagemate percitus alæ.

B *His*

His pater, ereptis qui flauum Britona ſignis
Exuit, auguſtis quondam natalibus ortus,
Qualis erat bello, fulgenti caßide tectus,
Et cataphractus equo, ferroq́ timendus acuto;
Talis honorato clypei ſpectatur ab auro.

Verùm ego ſi breuibus complecti hæc omnia metris,
Si tenui coner deducere ſingula verſu,
Aut decertatos ſperem enumerare triumphos;
Relligio, Pietas, quæq́ eſt pulcherrima Virtus
VRSIADVM; *laßas uincent in limine vires.*

Haud opis eſt noſtræ tantum exantlare laborem,
Arcta nec impoſitum ſpatioſa per æquora pinus
Portet onus; ſolo depreßus IASONE *linter*
Ingemit, & ſacro metuit ſub numine mergi:
Quid faciat ſocios ſi ponas naue Dynaſtas?

Forsan

Forſan erit, uenæ cui copia maior, & oris,
Qui potiora feret meritis digniſſima tantis:
Et ROSEAM *prima vates ab origine gentem*
Pandet, auosq; atauosq; ſua cum ſtirpe, boatu
Maiori referet, nomenq; ad ſidera tollet.

Nos aulæ pars parua tuæ, DVX *optime, quando*
Publica feſta uocant, nec non communia poſcunt
Gaudia, quas coràm admiſſi propiore tuemur
Lumine; PENTALOGIS *laudes intexere raris*
Nitimur; obſequio non indignare puſillo.

Vnde ſed incepti ſurget mihi carminis ordo?
Quosq; canam titulos? quæ primùm nomina dicam?
Omnia ſi cumulum conuoluere nitar in vnum;
Obruar: exiguum ſi quid taciturnus obibo,
Prætereamq; uolens; ſcelus eſt quodcunq; relinqui.

Quid ſequar? hic comunis amor, firmataq; multis
In patriam meritis inſigni gloria pompa,
Hinc tua me Virtus rapit, & miranda per omnes
Vita modos, quæ, ſi deeſſet tibi fortè creato
Regia nobiitas, poſſet te ſola tueri.

Narrem Iuſtitiam? fulget Clementia. Iuris
Patronum referam? Pietas ſe Principis offert.
Percontabor opes? Sapientia ditior auro
Imperat. antiquos actus, uiridemq; iuuentam
Prosequar? ad ſeſe mentem præſentia ducunt.

Nunquã equidẽ numero plenus concentus honoro
Laudis inoffenſæ, neq; tam fæcunda bonorum
Congeries, ex quo uaſtus mortalibus orbis
Incolitur, quandoq; virum confluxit in vnum,
Aut ſua tam pura ſacraria condidit ara.

Et

Et pudor, & morum grauitas, & lenis honeſtis
Integritas ornata genis, & ſobria mentis
Temperies & cana fides, reliquæq; ſorores
Purpureo quaſcunq; dies clementior ortu
Edidit, ambroſia te nutriuere papilla.

Suxiſti cum lacte Deum, ſuperûmq; tremendos
Intra adytus, magni docta ſub voce magiſtri
Creuiſti, monitiſq; rudes melioribus annos
Formâſti, ſocias vbi nunc turgentior vndas
Combibit, & pleno rurſum vomit Iſter hiatu.

Non tibi delitias molles, non marcida luxu
Otia, non turpes ille vnquam indulſit amores;
Caſta ſed, excelſam ductans virtutis ad arcem
A puero, ingenuis inſtruxit pectora Muſis,
Et pulchra impubes exercuit indole vires.

Numina principio, rerumq́; timere ſatorem
Te docuit, iuſtis mox inde aſſueſcere cauſis,
Fortunæ portare vices, nec cedere duris,
Nec placidis efferi, animum patienter eundem,
Siue nouercanti, ſeu lætæ opponere ſorti.

Quoq́; magis cupidum ſuccenderet igne calorem;
Facta vetuſtorum præclara ſubinde parentum,
Hinc procul exactum retrò conuerſus in æuum,
Et priſcos narrabat auos, longùmq́; tenebat
Arrectas pueri blandis ſermonibus aures.

Ille TREBONIACAM *diuinis ritibus ædem,*
Contiguamq́; polis viuo de marmore turrim,
Condidit: hic CROMOVA *Veſtales vrbe recepit;*
Ille ſtipis largus ſumptus ingentis ibidem
Conuentum Patribus fundo conſtruxit ab imo.

Mille quis enumeret variorum limina Diûum,
Dotataſq́; tuis paſſim primoribus aras?
Qua te cunq́; feras oculis, veſtigia laudum
Quas imiteris habes; quin buſta vel ipſa tuorum
Te quondam priſcæ pietatis ſæpè monebunt.

ALTVM *aciē cōuerte* VADVM, *putrēq́; fauillam*
Quam molli complexa ſinu nunc terra retentat:
Quære, quis hanc tantam tangentem ſidera molem
Aëreas inter, denſiſſima robora, ſyluas
Primitùs eduxit, vel cenſibus auxit opimis.

Nèc tibi VVITKONES *tali de ſtemmate nati,*
Quoſq́; ſequare PETRI, *ſeu duris robur in armis,*
Seu placida ſub pace fidem, moreſq́; Catonis,
Aut Tatij præcepta ſenis, Curioſq́; requiras,
Deſuerint: Palma Domus hæc exultat vtraq́;.

Hos

Hos tibi virtutum ſtimulos, hæc ſemina laudum,
Hæc exempla bonus crebrò ſectanda monebat
SALMIVS: *effatum nec promptiùs audit Achilles*
Phylliridem, grauidas ſiue exarmare pharetras,
Siue Machaonias monſtrantem addiſceret herbas.

Et iam tempus erat, quo te viduata tot annis
Legitimo rectore Domus, ſoliumq́ parentis
Suſciperent: teneras nondum lanugine malas
Veſtitus, ſenas nec adhuc ter menſus ariſtas,
Cogeris ingenti ſubmittere tergora pondo.

Qualis ab Idæis primæuus Iuppiter antris
Poſſeſſi ſtetit arce poli, famulosq́ recepit
Natura tradente Deos, trifidumq́ lacerto
Fulmen in Oetæas etiam tunc ſimplice fagos
Torquebat, cœlumq́ coma breuiore regebat:

Talis

Talis ab excelſa ſubiectis gentibus aula
Iunior, oblatas vtraq; amplexus habenas
Dextra; edicta dabas, nec te noua pondere moles.
Aut durum turbauit onus, genitoris auitas
Agnouêre manus in ſucceſſore lupati.

Quæ pietas? quantusq́; rigor, tranquillaq́; magin
Vis animi, nulloq́; leuis terrore moueri;
Nec noua mirari facilis; quàm docta facultas
Ingenij, linguæq́; modus, reſponſa verentur
Affirmanda ſenes, pendentq́; loquentis ab ore.

Iam tunc Plauenſes quantum ſermone valeres
Aut quid Neſtoreo facundia picta colore
Poſſet, & excelſi ratio incorrupta cerebri,
Cognouêre Duces, & quem petiêre, repulſi
Præſumptum ceſſêre locum, ambitamq́; cathedram.

Nimirum æternis hunc morem publica faſtis
Gratia, iusq; ſtylo manſurum inſcripsit aheno:
Vt, quoniam meritis veterum præcellis auorum.
Proxima poſt primas des Regia numina voces,
Et loca Parrhaſio teneas vicina Leoni.

Quin etiam Heſperio cum Rege ſenatus ijsdem
Teq; tuosq; ſimul voluit decorare trophæis,
Libera caſtra tenens cunctis exempta tributis
CZECHIADVM *obriza Dominũ redimire corona*
Quò valeas, populoq; prior des iura ſuperbo.

Quis conſanguineas age nunc ex ordine tædas,
Quas BRVNSVIGA *tibi, vel* BRANDENBVRGI-
Prætulit, aut lætis poſtremũ deniq; cycnis (CA *quondã*
Vltima BADENSI *ſuccendit lampade Iuno,*
Concinat? & viduum celebret ſine labe cubile?

Quis

Quis curui fuſos hinc inde à margine Moldæ
Commemoret populos, & tot percenſeat vrbes
Subiectas, pulchrasq́; ſuis cum turribus arces,
Niligenæ quales olim fabricaſſe leguntur
Iſides, & Theben quæ centum eſt peruia portis.

Parciùs hæc canimus, ſiquidem magis illa tuarũ
Virtutum miro nos gloria detinet igni
Sidereusq́; nitor, qui te cœleſtibus æquat,
Atq; nouis vltrò duplicatus honoribus, aſtris
Inſerit, Hiſpani decoratum emblemate Regis.

Scilicet has moles, atq; hæc immania tecta,
Tecta ſuperbifica Pallas quæ condidit arte,
Tandem præcipiti trahit vltima linea caſu,
Regalesq́; tholos à culmine pulueris inſtar
In uacuas ætas ſpargit prolixior auras.

At tua nec tempus rugoſis tardiùs annis,
Nec fluxis exeſa genis longæua ſenectus,
Nec fera fortunæ rabies inſignia cæcis
Fuſcabit tenebris, neq; ſerum conteret æuum
Victurum æterna nomen per ſecula fama.

Scilicet has pinnas paucis ſors inuida luſtris
Diruit, & breuibus ſoluit vitioſa fauillis
Eſtq; ſitu caries; at enim ventura ſequentûm
Poſteritas, viuis tua ſemper honoribus olim
Inter præcipuos numerabit nomina faſtos.

Scilicet hæc alijs etiam cernuntur in oris;
Aſt animi candor, mens ſobria, conſcia recti
Vita, decus morum, ſolers prudentia, virtus,
Relligio, pietas, magnarum copia rerum,
Pectore vix vnquam melior conſedit in vno.

Diſcite

Diſcite mortales quid diſciplina ſalubris
Profuit, & ferulis pœdia ſeuera modeſtis,
Aut quantum interſit ſtudijs cunabula caſtis
Ornari, frœnosq́ rudi in iecißeiuuentæ,
Dum præmollis adhuc patitur curuarier arbos.

Qualem te virides primæuis nuper Ephebis
Formauère dies, talem te cana ſenectus
Exhibet, & magnos tractare aßueta labores,
Non niſi difficiles etiamnum corde triumphos,
Atq; Gigantæas exercet ſedula curas.

Quando repurgatos tollens è gurgite currus
Oceani, aut medium biga permenſus olympum,
Vel laßos croceo properans temone iugales
Soluere, te ſolio Titan conſpexit ab alto
Curarum vacuum? vel futile, nilq́; gerentem?

Quandò oculi ſcriptis non intendêre legendis,
Aut quondam miſeras aures ſpreuêre querelas,
Vel calamum poſuêre manus? non brachia centum,
Non Briareus alijs numerò creſcente lacertis,
Tot queat obiectas cauſarum euincere moles.

Deficiunt longi grauia inter munia ſoles,
Et nox insomnes integrat peruigil horas
Pro patria, nullam regni momenta quietem
Permittunt, nullas recepit prudentia metas
Pupillis impensa reis, viduisq́ tuendis

Diuidis ingentes animos, teq́ omnibus vnum
Sufficis, excelsos miratur ſæpè clientes
Curia, ſupplicibus nunquam reclusa, vel ima
Plebe ſatis, biſores æquè panduntur egenis
Diuitibusq́ ſimul, nullo diſcrimine, valuæ.

Iam

Iam quoq; Lybethridûm quàm ſit tibi fida ſororum
Cùra, Heliconiadûm quantum complexus alumnos
Rupis ames, vegetis ſi me fons Aonus vndis
Luſtraſſet, canerem; ſed me veſtigia tantum
Summa ſequi, obductum cogit rubigine plectrum.

Nullus tam tenui ſudatum Marte, nec vnquam
Tam pauca munus redolens aliquando lucerna
Aut rudioris opus tibi commendare Mineruæ
Viſus, honorata qui non donatus abiret
Merce, vel ingratæ quereretur munera dextræ.

Inuitas largis vltrò fœlicia donis
Ingenia, & ſtudijs ſtimulos hortator opimos
Addis, vt elumbi quæ paupertate iacerent
Oppreſſæ, pietate tua tollantur in altum
Pierides, cœloſq; petant pernice volatu.

Ipſ

Ipſe ego, qui Sophiæ, geminiq́ue volumina Iuris
Euolui pridem, meritum iam iamq́ue brauium
Accepturus eram, tua ni fæcunda bonorum
Dextra, tuliſset opem, curſu defectus in ipſo
Hæſiſsem, & iuuenes numerarem inglorius annos.

Sed priùs emenſo verſetur ſignifer anno,
Et vaga bis ſenos aſtris labentibus orbes
Machina continuo ducat circumflua gyro;
Quàm mea PENTALOGE *tantarũ nomina laudum*
Cogat in exiguum ſtrepera teſtudine carmen.

Quis dignè referat, quantùm tibi luce ſub illa
Debuit AEmilius, Morauæ cis mœnia Znoimæ,
Cùm gens limitibus prodire Boëma paternis,
Et fines vltra, nollet, transcendere regni
Ordo triplex, fixo & ſtarent tentoria vallo?

Aut

Aut cùm depoſita prolem pater ipſe mitella
Optaret redimire ſuam, trabeatáq; nato
Cunctantis populi cuperet ſubmittere ſceptra;
Vel nunc Bœmiaco quantum tua deniq; regno
Proſpiciat vigili cura indefeſſa labore?

Scit Cæſar, ſcit Praga triurbs, ſcit patria tellus,
Quæq; diu iacuit lugens Eccleſia teſtis,
Quàm tibi ſollicitis incurſet cura medullis
Conſulere in medium, & per templa bohemica rurſus
Romanæ lapſis fidei ſuccurrere rebus:

Scit Cromoua, egregios quæ te curante miniſtros
Nacta, ſalutaris myſteria cælica verbi
Haurit, & hinc etiam magis ac magis hauriet olim,
Quùm noua collegis IGNATI *habitanda verendis*
Proferet excelſum domus ædificata cacumen.

Nec mihi cum parua fas eſt hoc laude taceri,
Quòd nuper gelidum quum gens pellita Senatum
Cogeret, & ſciſſa dubius Iouis armiger ala
Nutaret, poteras vltrò regnare rogatus,
Atq; Propontiaca dominari rector in aula.

Sed tibi ſancta fides, & nulli obnoxia næuo
Integritas, fluxa regni præſtantior vmbra
Credita, prænſatos multis contempſit honores,
Et titulo potiùs, Phariaq; excelſiùs aula
Cenſuit effrœnos animi domuiſſe tumultus.

O quoties media magno pro Cæsare turba
Orantem, & culto proceres ſermone trahentem
SLechta, paludatos inter non vnus aceruos,
Dixit; magnanimos cur non regat iſte Polonos?
Cur ſacra Lechiaca non obtegat ora tiara?

At

At tu Sarmatico ſtatuiſti pulchrius Oſtro
Iuſtitia ſeruare pios, frenare ſuperbos,
Parcere ſubiectis, paciq́ imponere morem;
Et quod præcipuum laudes ſupereminet omnes
Antiqua populum ſub relligione tueri.

Aſpice ſiderea iam nunc Pater, aſpice, ab ora
ZAVISSI *generoſe tuum poſt longa nepotem*
Secula, non pigra temet virtute ſequentem,
Et ſi fas etiam permittat dicere manûm,
Et meritus priſcos vincentem & laude parentes

Ille prophanatis ſi quos Mars improbus armis
Diruit, aut rapide Vulcania flamma camino
Abſumpſit, tardoq́ fluens iniuria ſeclo
Euertit, ductis muros conſurgere pinnis
Curat, & impoſitis iubet expergiſcere tectis.

Ille ruinoſis faſtigia cominùs aris
Inducit, Diuûmq́; focos rubigine terſa
Expolit, hìc collapſa, illìc fundata recenti
Marmore, purgatis onerans altaria libis
Templa Panomphæo dicat illibata Monarchæ.

Nec tantum neglecta ſitu monumenta priorum
Humana fabrefacta manu: ſanctos quoq; mores
Reſtituit, veterisq́; nouat veſtigia recti,
Vt pia viuendi cum nomine regula quadret
Ordinis, & ſpreti clauſtri inſtaurentur honores

Quàm fera, quàm prauiq́; tenax, & lucis egena
Turba reraſorum nuper duriſſima fratrum
Impunè ceruice iugum ſumpſiſſe relictum.
Atq; reformatas CISTERTI *admittere leges,*
Reſtitit, & quondam canones audire profeſſos?

Tute

Tute tua primus, nec ſegnis, ſpontè pudori
Et diſciplinæ, gemini ſacraria clauſtri
Ipſe recluſiſti, priſcamq́; reducere paſſus
Iuſtitiam, toti lumen per ſecula regno
Nunquam extinguendum, læta præ fronte tuliſti.

At tibi, quas tantis poterit reppendere grates
Promeritis, dignasq́; ſatis vincire coronas
Relligio? aſſertos tibi ſe debere fatentur
Pontifices ritus, & quod neglecta per vrbes
Bœmiacas iterum pietas antiqua triumphet.

Nec non concluſum quamuis immanis ouile
Circuit & rabiem frendenti oſtentat hiatu,
Irarum plenus, fraudisq́; & fellis abundans;
Parcius emotas animi tamen eſſe bidentes,
Quòd ſoleat, niueasq́; lupus prædarier Agnas.

Hi ſunt Diue gradus, quibus altã Miles ad arcẽ
Scandis, & Eoo (collega aſcitus honorum)
Fœdere, Phiyxææ capis aurea vellera lanæ,
Vellera Phaſiaca quæ quondam nauita ab ora
Typhis, ad Argæos Magnetide detulit Argo.

Digna legi virtus. Graiæq; audacia pubis
Ignotum quæ prima ſalum tentauit adunca
Puppe, nec eliſas Symplegadas exhorreſcens
Cyaneum docto perrupit remige marmor,
Victricemq; ratem tutò per cœrula vexit.

Digna quoq; AEſonidis laudari dextra, rapaces
Quæ ſimul. Harpyias, inſopitisq; refuſum
Tractibus, aurati cuſtodem velleris, anguem
Contudit, & Minyo placidum mugire coëgit
Iuga lernæos ſub vomere corpora tauros.

OEtias

O Etias egregium ſed inumbrat IASONA *virgo,*
Et partem famæ potiorem fæmina demit
Iuncta viro, mollitq́ ſuis diſcrimina belli
Carminibus. Socios at enim tua gloria neſcit,
Nec ſacra Colchiacis nituntur facta venenis.

Sola tibi pietas iuratos præſul in hoſtes
Se comes, & paßis Aſtrëia Nympha capillis
Iuſtitiæ ancipitem vibrans per inane machæram
Adiungit, ſtygios debellatura tyrannos,
Et veterem ſpiris exarmatura Draconem.

Perge bonis auibus, decretumq́ accipe vellus
Quoddam aliud, fuluo non impræſtantius auro,
Quod tibi naturæ ſcrutanti abſtruſa, ſub ima
Rupe, Smaragdæis diuoq́ incudibus igni
Fabricat è viuo Sapientia rara lapillo.

At

At tu PENTALOGE *ſubducta naue rudentes*
Collige deſeſſos, forſan caua lintea quondam
Grandior implebit meliori flamine ventus,
Et ROSEIS *ſuccincta latus velocius alis,*
Ibis in immenſum poſita formidine pontum.

Hæc ſat nunc luſiſſe fuit, tantumq́; ſupremis
Deſignaſſe notis, dum pleno Copia cornu
Fundat odoratas, quas Sol, quas Brumaq́; nolit
Offendiſſe ROSAS, *& tali vimine longùm*
Paſcat Bœmiacas ætas intermina gentes.